This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ital
72
22

HARVARD
LAW
LIBRARY

Digitized by Google

Ital 73.22

Harvard College Library

FROM THE GIFT OF

THE LADY SYBIL CUTTING

OF FLORENCE

FOR BOOKS RELATING TO FLORENCE
OR NORTHERN ITALY

To continue the collection begun by the late
William Bayard Cutting, Jr. (Class of 1900)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ill.mo sig. Cav. Muoni
Fiberlang
D.D.D.

DAMIANO MUONI
Libri, Disegni, Stampe, Ritratti
Pergamene, Manoscritti, Autografi

STATUTA

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

ANNI MCCCXLVII

NUNC PRIMUM EDITA ET ILLUSTRATA

CURANTE

Prof. FRANCISCO BERLAN

MEDIOLANI
EX OFFICINA DOCTORIS FRANCISCI VALLARDI
MDCCCLXIV

Digitized by Google

Digitized by Google

STATUTA

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

DAMIANO MUONI
Libri, Disegni, Stampe, Ritratti
Pergamene, Manoscritti, Autografi

Digitized by Google

Varese, Italy - Laws, statutes, etc

Digitized by Google

STATUTA

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

ANNI MCCCXLVII

NUNC PRIMUM EDITA ET ILLUSTRATA

CURANTE

PROF. FRANCISCO BERLAN

MEDIOLANI

EX OFFICINA DOCTORIS FRANCISCI VALLARDI

MDCCCLXIV.

Digitized by Google

Varese, Italy - Laws, statutes, etc

Digitized by Google

STATUTA

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

ANNI MCCCXLVII

NUNC PRIMUM EDITA ET ILLUSTRATA

CURANTE

PROF. FRANCISCO BERLAN

EX OFFICINA [illegible]

MDCCCLXXIV

Digitized by Google

Ital. 72.22

Harvard College Library
June 2, 1913
Gift of
The Lady Sybil Cutting.

Digitized by Google

INDEX STATUTORUM

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

Proœmium.
I. *Sacramentum Vicarii.*
II. *Sacramentum Canevarii.*
III. *Sacramentum Notariorum.*
IV. *Sacramentum Procuratorum.*
V. *Sacramentum Iuratorum.*
VI. *Sacramentum Servitorum.*
VII. *Sacramentum Consiliariorum.*
VIII. *De iuramento Consiliariorum.*
IX. *De iure reddendo unicuique pro laboribus.*
X. *De iure reddendo mercatoribus ad Mottam.*
XI. *De arbitramentis.*
XII. *De appellationibus.*
XIII. *De pignoribus accipiendis.*
XIV. *De bannimentis dandis.*
XV. *De pignoribus vendendis.*
XVI. *De citatione possidentis aliquam rem.*
XVII. *De terminis dandis.*
XVIII. *De Sapientibus dandis super quæstionibus.*
XIX. *Qualiter Dominus Vicarius debet ascendere banchum pro iure reddendo.*
XX. *De præceptis fiendis per Dominum Vicarium.*
XXI. *De censuris sententiarum solvendarum.*
XXII. *De verbis iniuriosis, et rumoribus fiendis in Burgo.*
XXIII. *De bannitis et condemnatis non receptandis.*
XXIV. *De furtis non committendis et non receptandis.*
XXV. *De mulieribus et domicellis forzatis in Burgo vel Castellantia.*

Digitized by Google

XXVI. *De delictis factis vel fiendis.*
XXVII. *De ludentibus ad ludum taxillorum.*
XXVIII. *De eodem.*
XXIX. *De ludis, ut supra.*
XXX. *De pœna tenentium ludum in domo et alibi.*
XXXI. *De communantiis inquirendis.*
XXXII. *De debentibus sustinere onera Communis, et qualiter.*
XXXIII. *De æstimationibus domorum Burgi.*
XXXIV. *De stationibus non aperiendis in diebus Dominicis et aliis festivitatibus.*
XXXV. *De bestiis non tenendis in Burgo vel Castellantia.*
XXXVI. *De condemnationibus factis non ponendis ad Consilium.*
XXXVII. *De pœna Consulentium, si non fuerit positum in proposta.*

Digitized by Google

STATUTA

BURGI ET CASTELLANTIÆ DE VARISIO

In nomine Domini. Amen. MCCCXLVII. Indictione XV. Infrascripta Statuta facta et ordinata fuerunt per infrascriptos electos, existente Vicario prudenti viro Domino Conforti de Belforte Burgi et Castellantiæ de Varisio, tempore Consulatus Dominorum Zanis de Sapore, Petrini de Zuffinolo, Iohannis de Campo, Iohannoli de Fossato, ad honorem altissimi Creatoris, et eius Filii, et beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ, et beatorum Sanctorum Ambrosii, Iohannis et Victoris, et ad honorem et amplificationem et bonum statum Magnificorum Dominorum, Dominorum Iohannis et Luchini fratrum de Vicecomitibus, Dominorum Generalium Civitatis Mediolani et Pergami, et ad eius plenissimam interpretationem, diminutionem et additionem, alte et basse, iuxta velle suum. Nomina quorum Statutatorum sunt hæc: Magister Franzius de Seregno, Magister Comollus de Frota, Iohanninus de Marta, Magister Petrus de Fossato, et Franzius de Pancerio, et Iacobus Perabos, Magister Albertinus Giramus, et Martinolus Portabos.

Digitized by Google

I. IURAMENTUM VICARII.

Iuro ego Vicarius [seu Consul] Burgi et Castellantiæ de Varisio, ad Sancta Dei Evangelia, corporaliter tactis Scripturis, quod bona fide, sine fraude, regam et gubernabo Burgum et Castellantiam de Varisio et habitantes in eodem, subiectos tamen Iurisdictioni meæ, toto posse meo, et non permittam, nec consentiam, quod de bonis dicti Communis fiat furtum, et si invenero factum, faciam restitui modis omnibus, quibus potero. Et servabo omnia Statuta bona fide, sine fraude, remotis odio, amore et speciali meo commodo vel damno, in hoc volumine comprehensa. Donum vel gratiam de avere Communis non faciam sine speciali licentia totius Consilii vel maioris partis. Reformationes etiam Consiliariorum servabo, nisi de licentia Consilii fuerim absolutus ab observatione alicuius Statuti seu consilii. Operam non dabo quin vadam ad aliquam ambassiatam, nisi deliberatum fuerit per Consilium Maiorem vel per Consiliarios privatos, pro iusta et necessaria causa. Contentus stabo de salario mihi promisso et per me acceptato, et acceptatum intelligatur, ex quo mihi notificatum fuerit, et contentus fuerim. Donum aliquod non recipiam, propter quod iustitiam non faciam, et non observem Statuta in hoc volumine comprehensa. Canevarios, qui pro temporibus meis fuerint, antequam exeant de Canevaria sua, rationem fieri faciam; et quod penes eos remanserit de pecunia vel de pignoribus dicti Communis, restitui faciam successoribus suis in officio.

II. IURAMENTUM CANEVARII.

Iuro ego Canevarius, ad sancta Dei Evangelia, quod Canevariam meam faciam bona fide, sine fraude, et quod diligenter ponam in quaterno Communis omnia per me recepta nomine dicti Communis, sine aliqua diminutione, et omnes expensas, sine aliqua additione, plusquam expenderim. Mea propria auctoritate non expendam aliquid de avere Communis; et quicquid expendam pro dicto Communi, expendam pro licentia Vicarii et Consulum et Procuratorum, qui pro temporibus fuerint. Rationem de mea Canevaria reddam, ante exitum meæ Canevariæ, Vicario et Consulibus et illis, qui super hoc electi fuerint per prædictos eorum, Vicarium et Consules. Operam dabo toto

Digitized by Google

meo posse, quod omnes condemnationes factæ, et quæ de cetero fient, et omnia fodra, et mutua, quæ de cetero imponentur vel imposita fuerint, perveniant in me ad utilitatem Communis; et dicta mutua seu fodra imposita et de cetero imponenda non expendam, nisi in illam causam, cuius occasione dicta fodra vel mutua imposita erunt, etiam si fuerit de præcepto Vicarii et Consulum, nisi affuerit consensus totius Consilii vel maioris partis. Et quicquid apud me repertum fuerit esse de pecunia dicti Communis, vel in pignoribus, facta ratione Ratiocinatoribus ad hoc electis, reddam, et restituam Canevario subsequenti, sine compensatione alicuius debiti, quod dicere possem me habere debere a dicto Communi ante meam Canevariam. Et servabo omnia Statuta et Reformationes Consiliariorum, quæ tangerent officium meum. Et de solutionibus faciendis alicui personæ Burgi et Castellantiæ de Varisio, vel aliunde, non retinebo aliquid, sed integraliter solvam, ut ordinatum fuerit per dictos Vicarium et Consules et Consilium.

III. IURAMENTUM NOTARIORUM.

Iuro ego Scriba [sive Notarius] Communis de Varisio, ad sancta Dei Evangelia, quod officium meum bona fide, sine fraude, faciam et exercebo diligenter, scribendo omnes cartas et instrumenta, et alia mihi imposita a Vicario et Consulibus, quæ pertineant et pertinere possint ipsi Communi de Varisio; et de ipsis faciam copiam quoties fuerit requisitum a me; et eas non celabo dictis Vicario et Consulibus; et non accipiam aliquid plus de aliqua scriptura, quam ordinatum fuerit. Et faciam copiam de me quotiescumque opus fuerit. Et veniam ad Consilia publica et privata, quotiescumque audivero signa ad hoc deputata, non obstantibus meis propriis factis.

IV. IURAMENTUM PROCURATORUM.

Iuro ego Procurator [et Scriba Procuratoris] ad sancta Dei Evangelia, quod bona fide, sine fraude, procurabo et geram commoda et utilitates Communis et officium mihi iniunctum, et quod non permittam fieri fraudolosas expensas de bonis et rebus Communis, et bona fide, sine fraude, reduci faciam vel reducam in quaternum illas expensas, quas cognovero et credidero fieri vel factas esse in uti-

Digitized by Google

litate sive pro congruis et iustis negotiis Communis, et aliter non, nisi de licentia et assensu Credentiæ vel maioris partis; et quod dabo operam bona fide, sine fraude, ut Vicarius et Consules se salvent de sacramento suo. Et si a me super negotiis Communis petierint consilium, bona fide, sine fraude eis præstabo; et si privatum fuerit, privatum tenebo, secundum quod placuerit Vicario et Consulibus et Credentiæ, vel maiori parti. Et de rebus Communis furtum non faciam, nec facienti consentiam; et si scivero velle fieri, prohibebo pro posse meo ne fiat; et si scivero esse factum, Vicario et Consulibus et Credentiæ manifestabo.

V. IURAMENTUM IURATORUM.

Iuro ego Iuratus, ad sancta Dei Evangelia, quod attendam et observabo bona fide, sine fraude, omnia dicta et præcepta Vicarii et Cónsulum, et cuiuslibet ipsorum, mihi dicta, facta et iniuncta pro negotiis et utilitatibus seu necessitatibus Communis, et quod omnia pignora, quæ exigam, aut in me pervenerint occasione dicti officii mihi iniuncti, et ipso die, vel sequenti, ea Canevario ipsius Communis consignabo, nec inde parabulam petam. Et bona fide, sine fraude dabo operam, ut Vicarius et Consules se salvent de sacramento suo. Et ea omnia pignora, quæ Canevario consignabo, scribi faciam, et exemplum recipiam. Et ultra quod mihi concessum fuerit in feudo, non petam, nec peti faciam. Et consilium dabo, bona fide, Vicario et Consulibus, quum ad me petierint de iis, quæ ad meum officium spectaverint. Et quascumque accusationes fecero, faciam secundum formam Statutorum, iuste et non inique.

VI. SACRAMENTUM SERVITORUM.

Iuro ego Servitor, ad sancta Dei Evangelia, bona fide, sine fraude attendere et observare omnia dicta et præcepta Vicarii et Consulum, unius vel plurium, pertinentia ad officium Servitoriæ dicti Communis, et quæcumque mihi dabuntur de rebus et bonis spectantibus dicto Communi, cum mihi consignata fuerint, statim Canevario consignabo; et quascumque ambassiatas et requisitiones debuero facere, vel iniunctæ mihi fuerint faciendæ, fideliter et iuste faciam et non inique; et cum per me facta fuerit aliqua ambassiata seu requisitio, Vicario et

Digitized by Google

Consulibus, uni vel pluribus, prodam, et scribi faciam. Nam ultra quod mihi concessum est a Communi, non percipiam; nec de rebus Communis furtum faciam, nec facienti consentiam. Et si scivero velle fieri, aut factum esse, Vicario et Consulibus consignabo, sive manifestabo. Et cum audivero campanam, vel Missum Vicarii vel Consulum, ad eos cum celeritate ibo.

VII. IURAMENTUM CONSILIARIORUM.

Iuro ego, qui sum de Consilio, ad sancta Dei Evangelia, quod statim cum audivero campanam de Consilio, vel Missum Vicarii vel Consulis, unius vel plurium, ibo ad Consilium, et bona fide, sine fraude dabo eis consilium et auxilium, ut se salvent de sacramento suo, nec a Consilio recedam sine ipsorum parabula. Et quæ mihi imposita fuerint tenere privata, tenebo; et de iis, super quibus a me consilium imploraverint, bona fide, sine fraude dabo consilium, remotis odio, amore, timore, et speciali profieuo et damno. Et non stabo nec ero ad damnum vel dedecus Vicarii et Consulum, nec stanti seu eunti consentiam. Et quæcumque utiliora scivero vel credidero ipsi Communi esse, ea Vicario et Consulibus facere ac imitari consulam. Et si scivero aliquem velle contrafacere, vel facere contra Statuta et Ordinamenta Vicarii et Consulum, uni vel pluribus, quam citius potero, manifestabo.

VIII. DE IURAMENTO CONSILIARIORUM.

Iuro ego..... ad sancta Dei Evangelia, attendere et observare omnia prædicta et præcepta, unum et plura, uno tempore seu diversis temporibus facta mihi vel meo Misso a Vicario vel Consulibus vel Nuntiis eorum, toto tempore sui regiminis; et quod per me nec per meum Missum non ero Giuda, nec spia, neque ad dedecus ipsorum Vicarii et Consulum, vel alicuius eorum, nec Communis de Varisio et Castellantia. Et si scivero aliquem contrafacere, statim cum audivero aut scivero, ipsis Vicario et Consulibus, vel suo Misso, manifestabo. Et omnes res ad me non spectantes, quæ in meam fortiam pervenerint, servabo et gubernabo, et quod ex eis non faciam furtum, nec facienti consentiam, sed ut in eumdem redeant, cuius fuerint, sicut divina ratio postulat et humana. Et si ad Consilium re-

Digitized by Google

quisitus fuero, bona fide, sine fraude Vicario et Consulibus consilium dabo; et a Consilio non recedam, postquam ad illud vocatus fuero, sine parabula dictorum Vicarii et Consulum. Et iniuncta mihi a Vicario vel a Consulibus secundum posse observabo et attendam; et si privata fuerint,privata tenebo, sicut placuerit Vicario et Consulibus. Et operam dabo, bona fide, ut ipsi, Vicarius et Consules, per totum tempus sui regiminis, bene per omnia, quæ in Statutis continentur, et alia, quæ nomine Communis fecerint, attendant et observent, et quod de suis sacramentis se salvent, et quod per me nec per meum Missum contraveniam nec contrafaciam.

IX. DE IURE REDDENDO UNICUIQUE PRO LABORERIIS ET ALIIS DE CAUSIS.

In primis statuerunt et ordinaverunt, quod si quis habere debuerit ab aliqua persona Burgi et Castellantiæ de Varisio subdita regimini dicti Burgi, aliqua ratione, pro aliquo laborerio, quod fecerit, et non possit consequi ab illo, qui fecit fieri illud laborerium, vel ab illis, qui eum posuerint in opere, et dicta occasione habuerit regressum ad Vicarium et Consules, tunc Vicarius, seu Consules, seu alter ipsorum, teneantur vinculo sacramenti, ad petitionem petentis, quolibet die feriato et non feriato, facere citari illum debitorem, seu de quo conquestus fuerit mercenarius petens. Et si venerit incontinenti, astringere ipsum debitorem ad solutionem faciendam, sine aliquo libello vel petitione data in scriptis, cum expensis, quas fecisset dictus mercenarius dicta occasione. Et si non veniret ad primam citationem, licet repertus non fuerit, liceat Vicario et Consulibus, seu alteri ipsorum, mittere ad pignorandum, sine aliquo banno dato. Et si contingeret dictum mercenarium dicta occasione morari in Burgo de Varisio, et facere aliquas expensas in cibo et potu, similiter dare debens teneatur ad integram satisfactionem cibi et potus.

X. DE IURE REDDENDO MERCATORIBUS, QUI VENIUNT AD MOTTAM ET IN BURGO.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis duxerit aliquam mercadantiam ad mercatum Burgi de Varisio, sive in Burgo, sive ad Mottam, cuiuscumque conditionis sit dicta mercadantia, et illam

Digitized by Google

mercadantiam, totam vel partem, vendiderit alicui Burgensi, masculo vel fœminæ, et eam emptori tradiderit sine dilatione termini ad solutionem faciendam, et emptor non satisfaceret pretium conventatum venditori, et ea occasione venditor habuerit recursum ad Dominum Vicarium et ad Consules, et conquestus fuerit; tunc Vicarius et Consules teneantur vinculo sacramenti ad petitionem dicti venditoris facere citari emptorem dictæ mercadantiæ, et ipsum constringere incontinenti, sine strepitu et figura iudicii et datione libelli, ad solutionem faciendam dicto venditori de dicta mercadantia. Salvo quod, si ille, qui dicitur emisse dictam mercadantiam, negaret sibi fore venditam vel non fuisse traditam. Tunc venditor admittatur ad probandum mercadantiam esse venditam et traditam dicto emptori, non porrecto libello nec petitione super hoc; sed simpliciter receptis testibus, si venditor habeat paratos, et si paratos non haberet, assignetur ei terminus ad eius voluntatem. Salvo quod, si emptor haberet aliquam exceptionem, quod res vendita esset morbosa vel vitiosa; quod ante solutionem audiatur, et pronuntietur secundum ius commune, vel secundum Consuetudines Mediolani super hoc scriptas. Et super hoc brevis terminus assignetur emptori. Et si succubuerit in eius exceptionibus, cogatur ad restituendum omnes expensas, quas fecerit dictus venditor, etiam cibi et potus. Et si non tradiderit, sed emptor venditorem tenuerit impeditum, et arræ datæ fuerint, et per emptorem steterit, quominus rem accipiat, arræ perdantur. Et si per venditorem steterit, quominus rem tradat emptori, arræ reddantur duplicatæ. Et quod dictum est si mercadantia vendita fuerit Burgensi, servetur illud idem in extraneis tam emptoribus quam venditoribus. Et si arræ datæ non fuerint, sed solo modo spalmatæ, vel benedictæ mercadantiæ, tunc renuens servare mercatum teneatur ad omne interesse servare volenti, secundum iura communia.

XI. DE ARBITRAMENTIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Vicarius et Consules teneantur et debeant mandare omnibus iuribus et remediis omnia arbitria, præcepta, et arbitramenta, per quoscumque arbitrum vel arbitros, vel arbitratorem vel arbitratores facta, vel quæ fierent, mandare executioni. Et si aliquis voluerit dicere vel allegare præcepta vel arbitramenta arbitrationis esse iniusta vel iniqua, debeat infra

Digitized by Google

mensem a die præceptorum et arbitramentorum, et scientiæ eorum, dicere et ostendere, tam agendo quam excipiendo, de gravamine et iniquitate et de omnibus suis iuribus. Quo termino elapso, executio fieri debeat per Iusdicentem de ipsis præceptis et arbitramentis, nisi doctum fuerit de gravamine et iniquitate ipsorum. Pœnarum vero medietas, sive ex arbitriis vel arbitramentis vel ex parte non servata, debeat in Commune de Varisio pervenire, et reliqua in illum, qui eam petierit.

XII. DE APPELLATIONIBUS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si delatum fuerit appellationi, teneatur appellans satisdare adversario suo de expensis restituendis, si victus fuerit; quam satisdationem si non præstiterit infra dies decem a die appellationis interpositæ, appellatio nulla sit.

XIII. DE PIGNORIBUS ACCIPIENDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Vicarius et Consules teneantur et debeant, ad petitionem creditoris, facere robari et contestari et in depositum poni de bonis et rebus bannitorum suorum et aliorum debitorum suorum, quibus de iure bannum dari non potest, et contra quos data est possessio tædialis, ut puta de bonis illorum, quibus bannum dari non potest, ut superius dictum est.

XIV. DE BANNIMENTIS DANDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod bannitus in aliquo non audiatur, etiam si dixerit se paratum solvere debitum, nisi prius solverit expensas propter contumaciam; item teneatur et debeat, ad petitionem possessoris, facere fieri depositum et sequestrationem de fructibus pendentibus in re, in cuius possessione est.

XV. DE PIGNORIBUS VENDENDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis robaverit alicui suo debitori equum vel aliud animal, quod, facta denunciatione, possit illud vendere, præteritis decem diebus, si non defendantur.

Digitized by Google

XVI. DE CITATIONE POSSIDENTIS ALIQUAM REM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis amodo intendit petere rem sibi obligatam, quæ ab aliquo possideatur, faciat citari possidentem per Servitorem Communis de Varisio; et si possessor comparuerit ad terminum sibi datum per Servitorem, petitor teneatur ei dare libellum, si res, quam petere intendit, valuerit a solidis sexaginta supra, possessori et procuratori, iudiciario ordine, faciendo positiones et capitula super re petita. Post litis contestationem, et factis dictis contestatione litis et positionibus et capitulis, et super iis receptis testibus et publicatis, tunc Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, ad requisitionem actoris committere teneantur quæstionem Iurisperito de Civitate vel de Comitatu Mediolani, receptis primo suspectis vel confidentibus. Illud idem servetur in petitione reali, videlicet si quis petere vellet rem, quæ ab aliquo possideatur, quam dicere velit sibi pertinere iure dominii vel quasi.

XVII. DE TERMINIS DANDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in qualibet causa non dentur ultra duo termini ad probandum de iure suo, quorum unusquisque duret octo diebus, et tertius non detur, nisi ex iustissima causa, quæ approbetur per Vicarium et Consules.

XVIII. DE SAPIENTIBUS ELIGENDIS SUPER QUÆSTIONIBUS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, teneantur et debeant in qualibet causa, quæ coram eis vel altero eorum vertitur, dare Sapientem, qui sit de Collegio Iudicum Mediolani, si dicat ille, qui petit Sapientem, quod aggravatur ex aliquo præcepto vel processu, quod vel qui ei, vel contra eum, fieret per dictum Vicarium vel Consules vel alterum eorum. Et si dictus Vicarius vel Consules, postquam eis vel alteri eorum, foret denuntiatum per petentem super eius gravamine consilium haberi Iurisperiti; quod donec non fuerit deliberatum per dictum Iurisperitum super hoc gravamine, non possit fieri ali-

Digitized by Google

quod damnum seu præiudicium eidem, qui dixisset se aggravari vel sibi tortum fieri. Et intelligatur in hac causa esse Dominus Thadæus de Carnate, de Collegio Mediolani, licet in dictum Collegium non intraverit. Et hoc propter minores expensas tam petentium quam defendentium.

XIX. QUALITER DOMINUS VICARIUS DEBET ASCENDERE BANCHUM PRO IURE REDDENDO.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, possint, et eis liceat, ac etiam teneantur ascendere banchum pro ratione reddenda cuilibet petenti omni die non feriata, dum tamen per Consilium Generale non prohibeatur, horis consuetis post nonam, et nisi remaneant propter infirmitatem aut alio iusto impedimento.

XX. DE PRÆCEPTIS FIENDIS PER DOMINUM VICARIUM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod unumquodque præceptum, quod fiet amodo per Vicarium seu Consules, qui nunc sunt seu pro temporibus erunt, seu per alterum eorum, quod non sit expresse contra Statutum vel Reformationes Consiliorum Communis de Varisio, vel de quibus non sit Statutum vel Reformatio, servetur et servari debeat, ac si esset Statutum expressum, dum tamen non esset contra utilitatem Dominorum et Communis Mediolani.

XXI. DE CENSURIS SENTENTIARUM SOLVENDARUM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod censuræ seu lecturæ sententiarum solvantur tam per actores quam per reum, in hunc modum, videlicet: si res, super qua sententiatur, fuerit a decem libris vel ab inde infra, solvat utraque pars pro qualibet libra denarios sex. Et si a decem libris supra fuerit quantitas, victor et amittens, denarios duodecim. Qui denarii perveniant in Vicarium et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt in Commune Varisii: et nihil aliud ultra possit accipi. Salvo, quod si res deciderctur per sacramentum; tunc quilibet faciens sacramentum, teneatur solvere ut supra, et Servitori d.....

Digitized by Google

XXII. DE VERBIS INIURIOSIS, ET RUMORIBUS FIENDIS IN BURGO.

In primis statuerunt et ordinaverunt, quod si quis dixerit aliquod verbum iniuriosum alicui Burgi et Castellantiæ de Varisio, vel aliunde, undecumque sit, quod verbum revocatum sit ad iniuriam per illum, cui dictum fuerit, et de eo portatum fuerit querimonia Vicario vel Consulibus, ille, qui illud verbum dixerit, componat, qualibet vice, solidos quinque tertiolorum, et plus minusve arbitrio Vicarii et Consulum, inspecta qualitate personæ dicentis et cui dicetur. Et si verbum iniuriosum dictum fuerit Vicario et Consulibus, vel alteri eorum, qui nunc sunt vel pro temporibus erunt, duplicetur pœna illi, qui dixerit, ampliando semper pœnam, habito respectu ad personam dicentis; quæ pœna non possit parci, etiam si Vicarius et Consules, cui hoc dictum fuerit, dixerint non revocare ad iniuriam. Et hoc propter honorem Officii. Si vero perventum sit ad rixam vel rumorem, ille, qui inceperit rixam vel rumorem, componat, qualibet vice, solidos quadraginta. Si vero posuerit manum ad gladium, evaginando versus alium, componat, etiam sine percussione, solidos sexaginta. Sin autem percusserit sine sanguinis effusione, componat Communi de Varisio libras quatuor; si vero cum sanguinis effusione, condemnetur, sive componat libras sex. Si vero membrum debilitatum fuerit, condemnetur in libris vigintiquinque. Si vero inde mors subsecuta sit, condemnetur in libris quinquaginta, et numquam sit habitator Burgi et Castellantiæ de Varisio, donec solverit prædictam condemnationem, et habuerit pacem cum agnatis mortui, si agnatos habuerit, usque ad septimum gradum. Nihilominus subiaceant pœnæ et pœnis omnibus appositis in Statutis et Provisionibus omnibus ipsorum Dominorum et Communis Mediolani.

XXIII. DE BANNITIS ET CONDEMNATIS NON RECEPTANDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Iurisdictionis Burgi de Varisio audeat nec præsumat receptare aliquem de suprascriptis condemnatis vel eorum occasione bannitis, nec eis dare auxilium vel favorem, nec cibum nec potum, publice vel privatim. Et si quis contrafecerit, teneatur ad solutionem illius condemnationis, de qua con-

Digitized by Google

demnatus fuerit. Et hoc habeat locum, dum clamatum fuerit in locis consuetis; salvis pœnis appositis in Statutis Communis Mediolani.

XXIV. DE FURTIS NON COMMITTENDIS ET NON RECEPTANDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus habitator Burgi vel Castellantiæ de Varisio audeat vel præsumat committere aliquod furtum vel robariam in tota Iurisdictione Communis de Varisio seu eius Castellantiæ. Et si quis contrafecerit, et furtum fecerit a solidis quinque, vel ab inde infra, condemnetur, qualibet vice, in solidis decem, et ad restitutionem rei furatæ duplicatam, computata re furata. Si vero furtum fuerit a solidis quinque supra, usque ad solidos viginti, condemnetur in solidis quadraginta, cum restitutione rei furatae in duplum, ut supra. Si vero res furata valuerit a solidis viginti supra usque ad solidos centum, condemnetur in libris decem, cum duplicatione rei furatæ restituendæ. Si vero a solidis centum supra cuiuscumque quantitatis sit, condemnetur in libris vigintiquinque, cum restitutione semper rei furatæ in duplum. Et nullus dicti Burgi et Castellantiæ audeat nec præsumat receptare aliquem condemnatum vel bannitum de suprascriptis causis, publice vel privatim. Et si contrafecerit, teneatur ad restitutionem totius condemnationis, de qua condemnatus fuerit. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem condemnationis, et teneatur privatus. Et illa eadem pœna servetur in quolibet receptatore; salvis aliis pœnis contra prædictos appositis in Statutis Communis Mediolani.

XXV. DE MULIERIBUS ET DOMICELLIS FORZATIS IN BURGO VEL CASTELLANTIA.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Burgi et Castellantiæ de Varisio, cuiuscumque status et conditionis existat, audeat vel præsumat rapere vel sfortinare aliquam honestam virginem, viduam mulierem, nec maritatam, occasione cognoscendi ipsam carnaliter. Et si quis contrafecerit, solo modo attentando, licet ad effectum non produxerit, puniatur, qualibet vice, in libris vigintiquinque; et nihilominus ponatur ad confinia longe a dicto Burgo per milliaria decem, ad voluntatem iniuriam passi, dum tamen non excedat annum unum. Et de iis raptu et fortia credatur sacramento mulieris sfortiatæ, cum aliquibus inditiis, quæ appareant sufficientia arbitrio Vicarii et Con-

Digitized by Google

sulum; et hoc quoniam talia non committantur in aperto sive pro patulo. Et si violentia ducta fuerit ad effectum, duplicetur pœna; salvis aliis pœnis appositis in Statutis Communis Mediolani.

XXVI. DE DELICTIS FACTIS VEL FIENDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si qua delicta amodo fierent in Burgo et Castellantia de Varisio, de quibus non reperiretur esse factum Statutum, nec sub aliquo Statuto posse comprehendi, tunc delinquens, seu delinquentes condemnentur et puniantur arbitrio Dominorum Vicarii et Consulum, seu maioris partis eorundem, cum consilio tamen Iurisperiti.

XXVII. DE LUDENTIBUS AD LUDUM TAXILLORUM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Burgi et Castellantiæ de Varisio, subiectus Iurisdictioni dicti Burgi, seu aliunde, undecumque vellit esse, sit, audeat vel præsumat ludere ad aliquem ludum bischlatiæ, sive ad taxillos, sive ad magros et grassos, sive ad bezazoras, de die nec de nocte, in Burgo. Et qui contrafecerit, si fuerit de die, condemnetur qualibet vice in solidis sexaginta, si fuerit lusor; et si fuerit incantor, in totidem; si fuerit superstans, in solidis viginti; si fuerit mutuator, in duplum, scilicet in libris sex: et si fuerit de nocte, duplicetur pœna. Et Burgenses teneantur pro extraneis, si haberi non poterunt tempore ludi. Et eadem pœna condemnetur quilibet ludens ad ludum de scarcapilli, et pro qualibet vice et pro quolibet ludente.

XXVIII. DE EODEM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus dicti Burgi nec eius Iurisdictionis audeat vel præsumat ludere in Burgo, ut supra proxime dictum est, nec extra Burgum prope ad dictum Burgum per milliaria duo; et tunc Burgenses seu Vicini non teneantur pro extraneis. Et hoc sub pœna in supra proximo Statuto contenta.

Digitized by Google

XXIX. DE LUDIS, UT SUPRA.

Quum bischlatiæ et ludi vetiti antiquissima res sint, et potius lusorês quærunt illam rem ampliare et non diminuere; ideo necessarium est, ut studiis quibus potest ipsos ludos tollere (*sic*), unde homicidia, robariæ, blasphemationes in Deum multa nascuntur et proveniunt. Ea propter statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, teneantur et debeant vinculo sacramenti subtiliter inquirere dictos ludos, de die et de nocte, et ipsos inquisitos et inventos condemnare et punire iuxta formam suprascriptorum Statutorum. Et illis, qui inventi fuerint per Dominos Vicarium et Consules, seu per alterum eorum, ludere, non detur defensio aliqua, sed cum pro victis et confessis habeantur ipso facto, si dicti Vicarius et Consules, vel alter eorum, dixerint, seu scribi fecerint, ipsos suspicasse seu suspicare ludere. Et hoc ut tollatur omnis materia degerandi. Et ad hoc, ut melius inveniantur, statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, et quilibet ipsorum, possint, et possit, habere accusatores privatos, qui possint accusare lusores, de quibus supra fit mentio. Et eidem accusæ detur plena fides, sine aliquibus aliis testibus. Et teneantur dicti accusatores privati eorum accusas dare in scriptis, prima vel secunda die, qua invenerint dictos lusores, ipsi Domino Vicario vel Consulibus, et dare in scriptis locum et diem et in qua hora lusum fuerit per accusatos; ad hoc ne malitiose falsas portarent accusas, et ut illi, qui accusati fuerint, possint se defendere, si false accusati fuerint: et aliter datæ non valeant.

XXX. DE PŒNA TENENTIUM LUDUM IN DOMO ET ALIBI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Burgi et Castellantiæ de Varisio audeat vel præsumat tenere ludum in domo, curia vel horto contiguis domui; et qui contrafecerit, puniatur et condemnetur, qualibet vice, in libris decem, et nihilominus teneatur pro lusoribus forasteriis et Burgi, si non haberent unde solvere possint. Et si Dominus Vicarius et Consules irent circando bischlatias, de quibus supra fit mentio, et invenirent aliquos aptos ad ludum, et de qui-

Digitized by Google

bus haberent ipsi, vel alter eorum, firmam suspicionem ut luderent, possint condemnari de ludo, ac si essent confessi. Salvo, quod hospites non teneantur pro Officialibus nec Soldatis Communis Mediolani.

XXXI. DE COMMUNANTIIS INQUIRENDIS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, teneantur vinculo sacramenti eligere quatuor prudentes viros de dicto Burgo, qui sciant communantias dicti Burgi, et quibus per dictos Vicarium et Consules imponatur vinculo sacramenti, ut inquirant diligenter omnes communantias, remoto odio et amore et speciali commodo vel damno, et illas, quas viderint communantias, reducere in scriptis, et sic reductis, dent eas ipsi Domino Vicario et Consulibus. Qui Vicarius et Consules teneantur infra octavum diem facere spatiari quod eis datum fuerit in scriptis. Et prædicti teneantur circare calegarias, et facere quod impositum fuerit per dictos Vicarium et Consules.

XXXII. DE DEBENTIBUS SUSTINERE ONERA COMMUNIS, ET QUALITER.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quælibet persona, cuiuscumque conditionis et status existat, dum tamen non sit ecclesiastica persona, divinis obsecundans officiis, quæ habitabit seu habitaverit in Burgo Varisio, in domo propria vel conducta, dum tamen non sit posita in dictum Burgum ad confines (*sic*), teneatur et debeat sustinere omnia onera et conditia Communis de Varisio secundum facultatem bonorum suorum, quæ habebit in Comitatu Mediolani, dum tamen illa bona sua laborentur, et de eis redditum percipiat, et de iis alibi rationabiliter non cogatur solvere cum aliqua Communitate. Et de iis omnibus, de quibus alibi rationabiliter sustinuerit, non possit in dicto Burgo compelli ad sustinendum. Et de hoc, de quo alibi non solverunt, cogi possint et debeant ad solvendum; et si non solverint, robari per Vicarium et Consules et Commune de Varisio debeant. Et hoc sine aliqua pœna banni et accusationis seu condemnationis. Et hoc iuxta formam talearum ei, vel eis, facta-

Digitized by Google

rum per quatuor discretos viros electos per Dominos Vicarium et Consules et Consilium. Salvo, quod propter hoc Statutum non præiudicetur Magistro Salomoni.

XXXIII. DE EXTIMATIONIBUS DOMORUM BURGI.

Cum Commune de Varisio fuerit, et hodie sit, graviter gravatum multis debitis, et specialiter uno debito, in quo incurrit occasione cuiusdam condemnationis de dicto Communi factæ per redemptionem deruptionis funditus faciendæ de dicto Burgo Varisii, ex eo quod Burgenses dicti Burgi receperant Magnificum Militem Dominum Matthæum Vicecomitem, tunc expulsum de Civitate Mediolani per potentiam illorum de la Turre (1), tempore quo idem Magnificus Miles ivit, associatus cum Burgensibus dicti Burgi, ad obsidionem Civitatis Cumarum, una cum parte Rusconorum, in qua obsidione fuit conflictus cum prædictis, et post dictum conflictum Dominus Antonius de Fixiraga, tunc Potestas Mediolani, equitavit cum forestaria Communis Mediolani ad dictum Burgum de Varisio pro ponendo dictum Burgum ad incendium et ruinam, ut supra dictum est, et mediantibus amicis, ut Deo placuit, Burgenses dicti Burgi, volentes redimere domos et destructionem dicti Burgi, passi fuerunt se condemnari de libris sexdecim mille (2), et de quibus solverunt tredecim millia quingentas libras, quas sub usuris mutuo acceperunt, et nondum satisfecerunt creditoribus; et quia in dicto Burgo multi sunt, qui habent sedimina et domos, quæ redempta fuerunt per solutionem prædictæ condemnationis, et qui nihil satisfecerunt de dicta condemnatione, quod aliis solventibus grave visum est; et ab illo tempore citra, specialiter tempore, quo Dominus Ludovicus, qui se vocari fecit Regem Romanorum, obsessus fuit Civitatem Mediolani, Burgenses dicti Burgi, in honorem præsentis Domini Mediolani et Status præsentis, dictum Burgum fortificaverunt, ad hoc ne dictus Rex de dicto Burgo haberet bayliam, cuius occasione fecerunt magnas expensas, et pro quibus ad hoc Commune de Varisio est debitis nequiter aggravatum, et de quibus omnibus, ut iam dictum est, multi habentes in dicto Burgo de prædictis omnibus nihil sustinuerunt, et æquum sit, ut qui sen-

(1) De hoc mentio fit in Historia Bern. Corii.
(2) De hoc mentio non fit in iam dicta Historia.

Digitized by Google

serunt commoda, pariter sentiant et incommoda; idcirco statuerunt et ordinaverunt, ut omnes domus dicti Burgi extimentur per quatuor bonos et legales homines sub debito iuramenti, et quod expensæ et condemnationes supradictæ compartiantur inter omnes domos, seu inter illos, quorum sunt domus dicti Burgi, et secundum extimationem solvantur et sustineantur omnes suprascriptæ expensæ et condemnationes; et si qui se subtraxerit ad solvendum id, quod ei evenerit iuxta suprascriptam taxationem, quod liceat Vicario et Consulibus dicti Burgi, qui nunc sunt et pro temporibus fuerint, et etiam debito sacramenti teneantur, expellere omnes habitantes in domibus prædictorum, donec plenarie satisfecerint taleam eis factam per modum suprascriptum.

XXXIV. DE STATIONIBUS NON APERIENDIS IN DIEBUS DOMINICIS ET ALIIS FESTIVITATIBUS.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Burgensis, seu quisquis alius habens stationam in dicto Burgo Varisio pro vendendo aliquam mercadantiam, audeat vel præsumat aperire stationam suam occasione vendendi aliquod in diebus Dominicis nec in festivitatibus Apostolorum nec Beatæ Virginis Mariæ; et qui contrafecerit, condemnetur, qualibet vice, in solidis viginti: et quilibet possit accusare, et habeat medietatem condemnationis.

XXXV. DE BESTIIS NON TENENDIS IN BURGO ET IN CASTELLANTIA.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus dicti Burgi et eius Castellantiæ audeat vel præsumat tenere in eius domo aliquas pecudes vel moltonos, quas mittat ad pascuandum extra Burgum, quæ non sint sui vel suæ, ab una die in antea; et qui contrafecerit, condemnetur, qualibet vice et quolibet die, in solidis sexaginta tertiolorum; et quilibet possit accusare, et habeat medietatem condemnationis.

XXXVI. DE CONDEMNATIONIBUS FACTIS NON PONENDIS AD CONSILIUM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si qua condemnatio facta fuerit, lecta et publicata, ut moris est, nullo tempore possit poni ad Consilium per Vicarium vel Consules, qui nunc sunt et pro tempo-

Digitized by Google

ribus fuerint, quid debeat fieri de dicta condemnatione, nisi ut executioni mandetur, in exigendo eam, et non de absolvendo vel suspendendo. Et qui contrafecerit, si fuerit Vicarius, condemnetur in libris decem, et retineantur de suo salario; et si fuerit Consul, in libris quinque, quæ exigantur de suo proprio ære. Et qui consilium dabit super prædictis, condemnetur in solidis sexaginta; et nihilominus propostæ super hoc factæ, consilium vel reformatio, nullius sint valoris vel momenti, et de hoc non possit dari parabula.

XXXVII. DE PŒNA CONSULENTIUM, SI NON FUERIT POSITUM IN PROPOSTA.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus de Consilio dicti Burgi possit consulere aliquid, nisi positum fuerit in proposta per Vicarium et Consules dicti Burgi; et qui contrafecerit, puniatur, qualibet vice, in solidis quinque, qui exigantur incontinenti, et sint Dominorum Vicarii et Consulum.

Eo tamen salvo et reservato, quod Reverendus in Christo Pater et Dominus Dominus Iohannes, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mediolanensis, et Magnificus Dominus Dominus Luchinus, fratres Vicecomites, Domini Generales Mediolani, etc. in prædictis omnibus et singulis Statutis, et quolibet eorum, iurisdictionem et auctoritatem habeant addendi, minuendi, cassandi, revocandi, mutandi, interpretandi et declarandi, semel et pluries, prout processerit de suarum beneplacito voluntatum; et quod per prædicta Statuta nullum fiat præiudicium nec diminutio Statutis Communis Mediolani, quin, quando in aliquo contraria forent dictis Statutis Communis Mediolani, potius stetur, et stari debeat, dictis Statutis et Ordinamentis Communis Mediolani, quam prædictis.

Ego Andriolus de Interlignis, Notarius et Scriba dictorum Dominorum Mediolani, prædictá Statuta, quæ sunt capitula triginta octo, procemio computato, in foliis septem, folio præsenti computato, de consensu et mandato prædictorum Dominorum pervisa, examinata et approbata per sapientem et discretum virum Dominum Raimondinum de Archidiaconis, Legum Doctorem, ipsorum Dominorum Vicarium Generalem, de ipsius Domini Raimondini impositione, per eum mihi facta ex parte ipsorum Dominorum, ad confirmandum fideliter me

Digitized by Google

subscripsi, sub anno Domini MCCCXLVII, decimaquinta Indictione, die ultimo Aprilis, signumque meum apposui consuetum in testimonium præmissorum.

Quod nullus de Varisio seu Castellantia audeat citari facere aliquem, nisi coram Vicario Varisii, et de pœna.

In nomine Domini. Amen. MCCCLI, Indictione quarta, die Mercurii, XXVIII Iulii, in regimine Nobilis viri Bartholomæi de Pisis Vicarii, et Dominorum Iohannis de Sapore, Minoli de Griffo, Beltrami Gabatoris, et Martinoli Portabovis, Consulum Burgi et Castellantiæ de Varisio, statutum et ordinatum est per Consilium Generale Burgi et Castellantiæ de Varisio, quod nullus de Burgo et Castellantia de Varisio audeat vel præsumat de cetero facere citari, requiri vel molestari aliquos, tam masculos quam fœminas, suppositos Iurisdictioni Varisii et eius Castellantiæ, sub aliquo Iudice vel Officiali, tam in Civitate quam in Comitatu Mediolani, præterquam coram Vicario vel Consulibus Varisii, sub pœna librarum quinque tertiolorum cuilibet contrafacienti, pro qualibet vice; et quod dicti Domini Vicarius et Consules, qui nunc sunt et pro temporibus fuerint, possint et debeant summarie, sine strepitu et figura iudicii, quoslibet contrafacientes condemnare, robare, et personaliter retinere usque ad solutionem dictæ condemnationis.

Ego, Iohanninus de Locia, Notarius suprascripti Communis Varisii, prædictum Statutum, mandato suprascriptorum Dominorum Vicarii et Consulum ac Consilii, scripsi et subscripsi, et in libro Reformationum Consilii posui.

Ego Bartholomæus de Pisis, Vicarius supradictus, me subscripsi.

Reperitur in STATUTIS NOVIS *Communis Mediolani factis* MCCCLI, *hoc modo:*

Si de cetero fuerit causa, lis, quæstio, controversia vel discordia inter ascendentem et descendentem, vel inter agnatos, vel cognatos, vel affines affinitate præsenti vel præterita, vel inter vicinos eiusdem Parochiæ, teneatur et debeat quilibet Iusdicens, postquam ei denun-

Digitized by Google

ciatum fuerit per aliquam partium, cogere eosdem ad compromittendum in amicum seu amicos communes, per partes eligendum seu eligendos: quod Statutum non habeat locum pendente commissione principali seu definitione quæstionis.

Ego Petrus Panigayrola, Notarius ad Statuta Communis Mediolani, scripsi.

Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, die Sabati, penultimo mensis Iunii, tempore Domini Thaddæi de Regio, Vicarii Burgi et Castellantiæ de Varisio, reformatum fuit per Consilium Maius dicti Communis, quod Notarii Communis Varisii, qui nunc sunt et pro temporibus fuerint, teneantur et debeant suis propriis expensis facere expensas papyri et chartarum ad Officium Notariæ, et omnes scripturas pertinentes Communi de Varisio facere et scribere sine aliquo pretio; ab aliis vero hominibus possint accipere solutionem, prout inferius continetur.

In primis, possint accipere de qualibet relatione Servitoris imperiales duos, et non ultra.

Item de quolibet banno, imperiales duos, et non ultra.

Item de quolibet præcepto, imperiales tres, et non ultra.

Item de quolibet termino, imperiales duos, pro parte, et non ultra.

Item pro qualibet satisdatione seu fideiussione, imperiales sex, et non ultra.

Item de quolibet deposito, usque in libris decem, imperiales sex; et ab inde supra, usque in libris vigintiquinque, imperiales novem; et ab inde supra, quodcumque sit depositum, solidos duos tertiolorum, et non ultra.

Item de qualibet possessione tædiali, imperiales duodecim; et totidem de . . . ., et non ultra.

De aliis vero scripturis accipere possint solutionem secundum consuetudinem Communis Varisii; et hoc in pœna et sub pœna arbitrio Domini Vicarii Communis Varisii, qui nunc est et pro temporibus erit.

Ego Martinolus Macreholus, de Burgo Varisio, Notarius et Scriba Communis Varisii, parte totius Consilii scripsi, et me subscripsi.

Digitized by Google

Reperitur in STATUTIS *Communis Mediolani factis* MCCCLI, *hoc modo:*

Aliqua persona non possit nec debeat capi, nec detineri, nec aliter molestari, modo aliquo, in persona nec rebus, pro aliquo debito publico vel privato, nec concessione aliqua, in Broletto Novo Communis Mediolani, nec in Civitate aut Comitatu Mediolani, in diebus Dominicis, nec festivis Apostolorum nec Beatæ Virginis Mariæ, nec in diebus nundinarum, quæ fiunt in Civitate vel Comitatu Mediolani, nec in Terris, ubi fiunt nundinæ, nec in diebus mercati, scilicet in diebus Veneris in Civitate Mediolani et Suburbiis Civitatis, et in aliis diebus mercati in Comitatu Mediolani, scilicet in illis Burgis et locis ubi fiunt mercata; nec illi de Burgo Modoetia in die Martis in Civitate Mediolani, nec aliqua persona alicuius Burgi, vel loci, cassinæ, vel molandini, possit capi nec detineri aliquo die in Civitate Mediolani pro debito sui Communis, dum reperiatur suum Commune satisdedisse ad Cameram Communis Mediolani; et hoc nisi fuerit ad petitionem illius, qui fuerit eius fideiussor; et hoc in ipsis Terris, ubi fuerint nundinæ seu mercata, et etiam veniendo, stando et redeundo ad ipsas Terras, vel ab ipsis Terris, vel aliqua earum, ipsis diebus. Et si contrafactum fuerit per aliquem exercentem Iurisdictionem, vel ad petitionem alicuius singularis personæ seu Universitatis, ipso iure nullum sit et cassum; et quod quilibet Iusdicens, qui contra prædicta vel aliquod eorum fecerit, condemnetur in libris quinquaginta tertiolorum, et ille, ad cuius petitionem contrafactum fuerit, in libris vigintiquinque tertiolorum, et ad restitutionem damni cum expensis, et Servitor in libris decem tertiolorum. Et prædicta non vendicent sibi locum in bannitis de maleficio et inimicis Communis Mediolani. Et quilibet possit accusare, et habeat medietatem. Et Dominus Potestas et eius Iudices, et quilibet eorum, de prædictis possint et debeant et teneantur inquirere et condemnare ex officio; et quod nullum datum fiat contra prædicta vel aliquod prædictorum, et si contrafactum est vel fiet, non valeat nec teneat, sed hoc Statutum sit præcisum et firmum, ipsis datis vel dato non obstantibus.

Ego FRANCISCOLUS PANIGAYROLA, Notarius ad Statuta Communis Mediolani, subscripsi.

IOHANNES DE VERCELLIS, de Terdona, Vicarius Varisii Millesimo CCCLXVIII et Millesimo CCCLXVIIII usque ad diem vigesimam mensis Maii, hoc scripsit.

Digitized by Google

Pro Officio Victualium competenti Burgensibus.

NOS GALEAZ VICECOMES MEDIOLANI, COMES VIRTUTUM.

Condescendentes necessitatibus Communis et hominum de Varisio Comitatus Mediolani, assiduis eorum incitati querelis, pro molestia et extorsionibus, quas, ut audivimus, Officiales super Victualibus dicti Comitatus inferunt dictis hominibus et Communi sub specie rectitudinis Officii eorum; per præsentes auctoritatem et bayliam quibuscumque Officialibus super ipsis Victualibus, in dicto Comitatu præsentibus et futuris, exercendi et faciendi dictum Officium in dicto Burgo et Castellantia, ac molandinis servientibus dictis Burgo et Castellantiæ, auferimus et ab ipsis penitus abdicamus, ita quod de cetero in dictis partibus, quemquam, occasione eorum Officii, inquirere, denunciare vel accusare non possint nec debeant. Et concedimus Communitati, Consilio et hominibus dicti Burgi huiusmodi Officium fieri faciendi, et constituendi duas idoneas personas, vel plures, singulis mensibus, quæ provideant super fraudibus Victualium, ne quidquam committatur contra Provisiones super Victualibus editas in dictis Burgo, Castellantia et molandinis; et quod tales, ut præmittitur, constituendi possint inquirere, accusare et denunciare committentes fraudes in ipsis Victualibus coram Vicario dicti Burgi: qui Vicarius condemnationes habeat inferre rite et recte in delinquentes, iuxta formam Statutorum et Provisionum Communis Mediolani editorum super eodem; et ipsæ condemnationes exigantur: quarum medietas applicetur Communi dicti Burgi, et alia medietas persolvatur dictis inventoribus et denunciatoribus pro eorum salario tantum. Mandantes prædictis Officialibus dicti Comitatus, quatenus contra huiusmodi dispensationis nostræ gratiam aliquid facere vel attentare non præsumant, sub indignationis nostræ pœna. In quorum testimonium præsentes nostras litteras fieri iussimus et registrari, nostrique sigilli munimine roborari.

Datum Papiæ, Millesimo trecentesimo septuagesimo, die vigesimo octavo Iunii, octava Indictione.

Digitized by Google

Nos Dominus Mediolani etc. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius Generalis.

Volumus, et vobis expresse mandamus, quatenus omnibus litteris, quæ vobis de cetero dirigentur nostri parte, obediatis, ita si sunt sigillatæ nostro sigillo parvo, sicut si sunt sigillatæ nostro sigillo magno, salvo litteris concessionis Officiorum, et sint quæ velint, et gratiarum cuiuslibet manerei, quibus nolumus, quod obedire debeatis, nisi sunt sigillatæ sigillo nostro magno consueto. Insuper in fine Ofcii tui Vicarii informes successorem tuum de continentia præsentium, quas registrari faciatis in volumine Statutorum Terræ Varisii. Et, ut cognoscatis nostrum sigillum parvum, ipsum imprimi fecimus in parte anteriori præsentium litterarum, quas bene servetis. Et, ut sciamus vos præsentes litteras nostras recepisse, volumus quod statim nobis rescribatis, per latorem præsentium, de earum receptione per vestras litteras, in quibus ad litteram interea inserta sit continentia nostrarum litterarum, et visis præsentibus, sine mora expediatis dictum latorem de responsione vestra.

Datum Papiæ, die viiii Septembris mcccclxxxi.

A tergo: — Vicario Varisii et Communi Terræ nostræ Varisii.

Nos Dominus Mediolani etc. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius Generalis.

Exhibita nobis supplicatione continentiæ subsequentis: - Illustri et Magnificæ Dominationi vestræ, quæ cum suis fidelibus subditis bene operantibus suam gratiam benigne dispensare consuevit, humiliter supplicatur pro parte fidelium servitorum vestrorum, hominum mercatorum Burgorum vestrorum Varisii, Galleratis et Seroni, et quamplurium aliorum, quod, cum eis contingat negotiari cum hominibus Vicariatuum dictorum Burgorum, et eorum mercantias eis dare in credito, pro quibus eorum creditis consequendis eos oportet aliquando, et sæpe, ire Mediolanum pro eorum iure consequendo ab eorum debitoribus; et quia aliqui distant a Foro et Civitate vestra Mediolani per milliaria vigintiquinque, aliqui triginta, aliqui quadraginta, et aliqui quinquaginta, durum est eis venire ad litigandum in Civitate Me-

Digitized by Google

diolani pro libris sex, decem et viginti, quia quasi tantum ascendit damnum et expensa, quantum erit debitum aliquando, dignetur vestra benigna Dominatio, attentis præmissis, vestram gratiam eis dispensare, et concedere, de vestræ plenitudine potestatis, vestris Vicariis Varisii, Seroni et Galleratis, et cuilibet eorum, quod in eorum Vicariatibus possint hominibus Burgorum prædictorum ius reddere, et contra eorum debitores executionem facere usque in quantitatem librarum vigintiquinque tertiolorum, ut, vestri gratia, pro consecutione iuris eorum magnis parcatur laboribus et expensis, propter magnam itineris distantiam, non derogando propterea Iurisdictioni alicuius, quin quilibet actor, si voluerit, possit ius suum in Mediolano consequi de quibuscumque pecuniarum quantitatibus; habito etiam respectu, quod vester Vicarius Mazentæ, qui est propinquior Civitati, habet arbitrium cognoscendi usque in dictam quantitatem; et habito etiam respectu, quod vester Vicarius Varisii et Castellantiæ habet arbitrium cognoscendi usque in quantitatem librarum quinquaginta tertiolorum in Burgo et Castellantia prædictis; — volentesque subditorum nostrorum indemnitati et commodo, quantum possimus, providere, harum tenore concedimus et decernimus, de nostræ plenitudine potestatis, quod Vicarii nostri Varisii, Seroni et Galleratis, quilibet eorum videlicet in suis Vicariatibus, tam præsentes, quam qui per tempora erunt, possint hominibus nostris Burgorum Varisii, Seroni et Galleratis ius reddere, et contra eorum debitores executionem facere usque ad summam librarum vigintiquinque tertiolorum. Ita tamen, quod propterea non derogetur Iurisdictioni alicuius Officialis; quin creditores ius suum, si ipsi voluerint, in Mediolano consequi possint: declarato nihilominus per expressum, quod, si quis citatus fuerit coram aliquo ex dictis Vicariis nostris ad instantiam alicuius creditoris sui, non possit ex eadem causa sub alio Iudice seu Officiale citari nec aliqualiter conveniri. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Datum Papiæ, Millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, die vigesimo nono Martii, quinta Indictione. PASQUINUS.

IOHANNINUS DE GROSSIS, Civis et Notarius Cremonensis, ac Notarius et Scriba Communis Burgi Varisii, supra scripsit.

Digitized by Google

Dominus Mediolani et Comes Virtutum, Imperialis Vicarius Generalis.

Ad obviandum malis, quæ per bischlatias et ludum taxillorum, ne dum per deviamentum subditorum nostrorum, sed, quod deterius est, per blasphemas in Deum, et alia nefanda sequuntur, deliberavimus, quod baratariæ nostrarum Civitatum et Terrarum non incantentur nec vendantur de cetero. Quare volumus, tibique mandamus, quatenus statim per totam Iurisdictionem tuam publice facias proclamari, quod nulla persona audeat vel præsumat tenere baratariam, neque teneri facere nec ludere, seu ludi facere ad taxillos, quo quo modo, palam vel occulte, præterquam ad tabulas, a die prima Ianuarii proximi futuri in antea, sub illa pœna, quæ in Statutis Terræ nostræ Varisii continetur, si Statuta adsint in dicta Terra nostra disponentia super hoc, et si non sunt Statuta super hoc disponentia, sub pœna librarum viginti tertiolorum: quæ Statuta, si adsunt, nobis mittas in scriptis; et quod quilibet accusare possit contrafacientes: volentes, quod tertium pœnæ detur accusatori, et reliquæ duæ partes perveniant in Commune. Intendentes quoque, quod a dicta die prima Ianuarii in antea incantus, si qui facti sunt de dictis baratariis, vel aliqua earum, debeant revocari et penitus esse nullos, et quod huiusmodi litterarum nostrarum tenorem in voluminibus Statutorum et Decretorum dictæ nostræ Terræ inseri et describi, ac de cetero praticari facias.

Datum Papiæ, die XIII Decembris MCCCLXXXIII. Antoniolus.

A tergo: Vicario nostro Varisii, præsenti et futuro.

Dominus Mediolani et Comes Virtutum, Imperialis Vicarius Generalis.

Quia accidit aliquando, ut non sponte, sed importunitate petentium, quorum multus est numerus, moveamur ad concedendas litteras, quæ iuri derogant nonnullorum; ea propter, cum sit humanum peccare, et angelicum emendare, huic errori duximus in præsenti et futuro salubre fore per nos remedium apponendum, volentes, decernentes et mandantes, quod, si in Iurisdictione per nos tibi commissa, parte nostra aliquæ litteræ hactenus emanarunt, quæ iuri derogant alicuius, in casibus præsentibus non decisis et futuris dumtaxat, eo ipso sint

Digitized by Google

nullæ et irritæ, et pro nullis et irritis habeantur, ac per Rectores et Officiales nostros, tam præsentes quam futuros, vel alios quoscumque, quo quo nomine censeantur, minime observentur, neque observari debeant; et illud idem dicimus et volumus fieri de litteris, quæ nostri parte de cetero emanabunt derogantibus iuribus aliquorum, ut præmittitur: non intendentes propterea, propter præsentes litteras, aliqualiter derogari Decreto nostro generali facto in Terris nostris super ordine causarum et litium abbreviandarum: quas quidem nostras litteras, ad perpetuam rei memoriam et inviolabilem observationem, registrari volumus et inseri in volumine Statutorum et Decretorum nostrorum et Communitatis tuæ Iurisdictionis, ut præmittitur.

Datum Papiæ, die XXII Decembris MCCCLXXXIII. ANTONIOLUS.

A tergo: Vicario nostro Varisii, tam præsenti quam futuro.

NOS DOMINUS MEDIOLANI ETC. COMES VIRTUTUM, IMPERIALIS VICARIUS GENERALIS.

Ad multiplices querimonias tollendum, quæ dietim nobis per Nobiles et plurimos alios subditos nostros habentes columbaria exibentur, pro eo, quod nonnulli columbos, in grave damnum et præiudicium et dispendium ipsorum Nobilium et nostrorum subditorum, ceperunt, et quotidie capere nituntur, pro eorum indemnitate providere volentes de opportuno remedio, et talia committentes debita pœna puniri, ut de cetero ab huiusmodi columborum captione materiam habeant se penitus abstinendi; tenore præsentium decernimus, edicimus, volumus, et mandamus, quatenus in territorio nostro non sit aliqua persona, cuiusvis status, gradus, præminentiæ vel conditionis existat, quæ audeat vel præsumat capere pipiones ad retia duarum alarum, sive alia retia, laqueos, grates, vel ingenia aliqua, fraudolenta quovis modo, sub pœna florenorum vigintiquinque auri pro quolibet pario pipionum et qualibet vice, solvendorum infra dies decem a die condemnationis fiendæ proxime subsequentes; quod si non solverit, pœna prædicta solvatur, et solvi debeat, per quatuor ex proximioribus Communibus illi loco, in quo captio pipionum ipsorum seu columborum facta fuerit; et quod dicta Communia, occasione prædictæ pœnæ, habeant actionem recuperandi denarios taliter exbursatos, rea-

Digitized by Google

liter et personaliter contra reum. Et quilibet possit accusare, et credatur suo sacramento, si fuerit publica vox et fama, et habuerit columbarium, et si non habuerit columbarium, cum uno teste fide digno, vel cum sacramento, si fuerit publica vox et fama; et habeat tertiam partem pecuniæ prædictæ, alia tertia pars perveniat ad Cameram nostram, et alia in illum, cui damnum fuerit illatum.

Item, quod reus teneatur restituere damnum passo iuxta eius sacramentum; et si non habuerit ad solvendum, Communia proximiora prædicta ad emendam teneantur, ut supra, et habeant erga reum ipsum illam actionem realem et personalem, quæ supra dicta est, de pœna florenorum vigintiquinque auri.

Item, quod nullus teneat retia duarum alarum, nec retia, quæ copertoria appellantur, in eorum nec aliorum domibus, nisi præstiterit primo bonam et idoneam securitatem in manibus Potestatis vel Rectoris, in cuius Iurisdictione morabitur, de non capiendo pipiones seu columbos, ut supra, sub pœna florenorum vigintiquinque auri; et quilibet possit accusare, et credatur sibi cum sacramento et uno teste fide digno, vel cum sacramento, si fuerit publica vox et fama, vel si reperta fuerint retia prædicta; et habeat medietatem dictæ condemnationis, et alia medietas perveniat Cameræ nostræ. In quam pœnam cadant, et cecidisse intelligantur, omnes, et singuli, quibus retia prædicta reperta erunt, et qui securitatem ipsam non præstiterint.

Item, quod Communia proximiora teneantur denunciare ipsos tenentes dicta retia illi Potestati, Vicario, vel Officiali, sub cuius Iurisdictione erit habens retia prædicta, sub pœna vigintiquinque florenorum auri, applicandorum Cameræ nostræ. Et quod Potestates, Vicarii, vel Officiales, in hoc habeant bonam advertentiam, taliter quod suprascripti Potestates, Vicarii, vel Officiales si retia ipsa reperierint, habeant medietatem dictæ condemnationis, solvendæ per illos qui securitatem non præstiterint, ut præfertur; decernentes, quod omnes aliæ pœnæ, per Statuta seu Decreta impositæ pro prædictis, in quibus maxima pœna sanguinis ingeratur, per hoc præsens Decretum nostrum interdicantur, et sint sublatæ. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus et registrari, nostrique sigilli munimine roborari.

Dat. Mediolani, die vigesima septima Iunii MCCCLXXXVIII, undecima Indictione.

Digitized by Google

DOMINUS MEDIOLANI ETC. COMES VIRTUTUM, IMPERIALIS VICARIUS GENERALIS.

Copiam capitulorum nobis exhibitorum per Ambasciatores vestrùm Præsidentium remittimus his inclusam, cum responsionibus nostris, ipsis capitulis singulariter annotatis, volentes, quod responsiones ipsas sicut iacent, usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, observetis, et faciatis inviolabiliter observari.

Datum Papiæ, die XV Iulii MCCCLXXXV. ANTONIUS.

A tergo: — Egregio viro Domino Potestati, Capitaniis, Vicariis, Referendariis, et duodecim Præsidentibus Provisionum Civitatis et Comitatus nostri Mediolani.

Quorum capitulorum et responsionum tenores sequuntur, in hac forma.

Infrascripta requiruntur pro parte duodecim Præsidentium negotiis Communis Mediolani.

Primo, quod Potestas Mediolani, qui est et pro temporibus erit, habeat iurisdictionem Comitatus in civilibus et criminalibus, et si ponantur Capitanii, quod ipsi exerceant solum iurisdictionem criminalem; et hoc non obstante, quod possit Potestas de criminibus in Comitatu commissis seu committendis cognoscere; præoccupans tamen in cognitione præferatur.

Sub primo capitulo respondentes, volumus, quod Potestas noster Mediolani, qui nunc est et per tempora erit, exerceat, et exercere possit, iurisdictionem suam in quibuslibet civilibus causis, quæ verti contigerint in Civitate nostra Mediolani, Suburbiis, et Corporibus Sanctis, et in locis circumstantibus, ab ipsa Civitate non distantibus ultra decem milliaria. In ceteris vero locis et Terris Comitatus nostri Mediolani Vicarii Comitatus prædicti, videlicet quilibet in Iurisdictione sibi commissa, exerceant iurisdictionem in civilibus causis, quæ non trascendant summam, vel valorem, librarum vigintiquinque tertiolorum. In causis vero civilibus excedentibus dictam summam, usque ad libras quinquaginta tertiolorum, Capitanii nostri Comitatus prædicti, videlicet quilibet eorum in Iurisdictione sibi commissa, iurisdictionem exerceant inter quascumque personas, etiam cives Mediolani, qui agere vellent contra aliquem contadinum. In causis vero civilibus excedentibus summam librarum quinquaginta tertiolorum, quantacumque sit summa, Potestas noster Mediolani iurisdictionem exer-

Digitized by Google

ceat, nec de ipsis se intromittant dicti Capitanii nec Vicarii Comitatus Mediolani; salvo, quod si aliqua causa civilis, quantumcumque foret, verteretur inter contadinos Mediolani tantum, vel inter cives forinsecos tantum, in ipso Comitatu habitantes, et ibidem pro eorum bonis descriptos in talea ad onera persolvenda, aut inter aliquem ex dictis civibus, in Comitatu habitantibus, et descriptis, ut supra, et aliquem contadinum, Capitanii Comitatus, videlicet quilibet in Iurisdictione sibi commissa, huiusmodi causas civiles cognoscant et terminent, ne magis partes graventur laboribus et expensis in veniendo Mediolanum ad litigandum pro causis antedictis; et salvo etiam, quod si ambæ partes, videlicet actor et reus, essent concordes de litigando coram aliquo ex dictis nostris Officialibus, Capitaniis, potius quam coram Potestate nostro Mediolani, hoc facere possint pro ipsarum partium minori incommodo et expensa. Et idem servetur e converso, si partes concordes fuerint ad litigandum coram Potestate Mediolani. In causis vero criminalibus Potestas noster Mediolani, in Civitate, Suburbiis, et Corporibus Sanctis Mediolani, iurisdictionem exerceat, nec de ipsis causis in dictis locis Capitanii nostri Comitatus se intromittant ullo modo. In Comitatu vero Mediolani quilibet prædictorum, videlicet Potestas noster Mediolani in solidum, et Capitanii, scilicet quilibet eorum in parte dicti Comitatus sibi commissa, iurisdictionem exerceant in criminalibus; ita tamen, quod præoccupans præferatur in cognitione talium causarum.

Secundo, quod concedatur licentia volentibus ducere bladum a partibus forasteriis Mediolanum, quod conducere possint.

Super secundo capitulo respondentes, volumus, quod Capitanius Lumellinæ, constitutus super deveto, firmus remaneat, et quod super hoc fiant litteræ volentibus conducere bladum ad Civitatem nostram Mediolani, cum bullettino secreto sigillatæ, et cum ordinibus consuetis. De aliis vero Civitatibus fiat more solito.

Tertio, quod provideatur de palatio in Broleto Mediolani, ubi ipsi forasterii possint suum bladum reponere.

Super tertio capitulo respondentes, placet nobis, quod assignetur per Referendarios nostros Duodecim et Syndicos Mediolani illa gabella, quæ est contigua palatio Notariorum Mediolani.

Quarto, quod salariati Communis Mediolani habeant sua salaria, et maxime Sacerdotes Sancti Benedicti, qui sunt duo, ne Commune Mediolani reincidat in sententiam interdicti.

Digitized by Google

Super quarto capitulo respondentes, volumus quod fiat.

Provideatur etiam quod Iudex Victualium faciat suas condempnationes in tempore debito.

Super quinto capitulo respondentes, volumus quod fiat.

Ego Iohanninus de Grossis, civis Cremonæ, pubblicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Notarius et Scriba Communis Burgi Varisii, suprascriptas litteras Magnifici Domini Domini nostri, et capitula cum responsione prælibati Domini, inventas in quibusdam cedulis papyrinis scriptas, ipsas et ipsa a dictis cedulis fideliter sumpsi et extraxi, et ad hanc formam publicam redegi, et scripsi, nil addito, diminuto, vel ommisso, quod sensum mutet vel variet intellectum, præter litteram vel syllabam; et ad æternam rei memoriam habendam et retinendam, in volumine Statutorum Communis Burgi Varisii inserui, et me subscripsi, et meum signum apposui consuetum, sub MCCCLXXXVIII, Indictione undecima, die Mercurii, primo Iulii.

DOMINUS MEDIOLANI ETC. COMES VIRTUTUM, IMPERIALIS VICARIUS GENERALIS.

Querelanter nonnullorum relatione percepimus, quod decretum nostrum editum occasione civilium causarum versatur in dubium, utrum servari debeat in quæstionibus delegatis et delegandis etiam a nobis, an ne; et sic sub involucro perplexitatis, huiusmodi quæstiones multipliciter dilatantur in expensas, contra mentem nostram, maximumque dispendium subditorum nostrorum. Eatenus materiam perplexitatis antedictæ tollere cupientes, ut subditi nostri per cavillosas oppositiones amodo non ducantur, declaramus tibi nostræ intentionis esse, quod in quæstionibus de cetero inchoandis, et dependentibus, in quibus non sit lis contestata, vel habita pro contestata, quovismodo delegatis vel delegandis etiam a nobis, locum habeat et servetur decretum nostrum civilium causarum, de quo supra fit mentio, in omnibus, sicut iacet; mandantes vobis, quatenus de prædictis proclamationes publicas in locis consuetis fieri faciatis sic, quod perveniant ad notitiam quorumcumque, faciatisque has nostras litteras inseri et describi in volumine Statutorum.... ad perpetuam rei memoriam, et pro lege municipali inviolabiliter observandas. Datum Mediolani, primo Martii MCCCLXXXXI.

FRANCISCOLUS.

Digitized by Google

ORDINATIONES PRO SOLUTIONIBUS INTRATARUM COMMUNIS.

Infrascriptæ sunt Ordinationes observandæ in Burgo et Castellantiis Varisii pro solutionibus intratárum suarum, videlicet bulli, terradegi, mensuræ bladorum, stateræ Communis, plodæ piscium, et stateræ bladorum, et farinæ datæ ad molandinos.

De ordine bulli, licet non secundum datum, sed ut solutio fiat pro Communi.

Incantator bulli possit exigere a quibuscumque dicti Burgi et Castellantiarum ac Vicariatus, seu a quolibet venienti et stanti, ut infra, ac vendentibus et retaliantibus, factis tamen prius cridis, quod quilibet bullare debeat pondera, pensas, stateras, passus, brentas, staria, zuchatas, et omnia similia, infra octo dies a calendis Ianuarii in antea; et possit ille Incantator propria auctoritate robare contrafacientes, et si quis vetaret, condemnetur de vetu pignoris, secundum Statuta Mediolani, stando sacramento Incantatoris, cum uno teste fide digno; videlicet si quis neglexerit bullare, aut repertus fuerit cum instrumentis quibuslibet non bullatis, pro qualibet vice et quolibet pondere ac instrumento, passo etc., in solidis viginti tertiolorum, quorum medietas sit Communis Varisii, alia Incantatoris: et Potestas ad omnem Incantatoris requisitionem teneatur fieri facere executionem. Et qui ordines serventur eo casu, quando ipsum Commune gravari contingerit per Ducalem Cameram ad aliquam pecuniarum solutionem pro tali bullo; aliter, si Officialis Mediolani vellet ipse venire bullatum, tunc servetur forma ipsius dati de ipso bullo; nam hoc non fit alio respectu, nisi ad disbrigandum homines ipsius Burgi, qui pro ipso continue impediebantur et detinebantur.

Primo, pro quolibet passo terreriis, firmam stationam tenentibus in eo Burgo, pro toto anno	sol. quatuor imperiales
pro quolibet passo forensibus, venientibus solum in diebus mercati, pro toto anno	solidos duos
pro quolibet passo forensibus, venientibus in fera Varisii tantum	solidum unum
pro quolibet hospiti, singulo anno . . .	solidos octo

Digitized by Google

pro quolibet speciario a medicinis et aliis	solidos undecim
pro quolibet speciario a non medicinis .	solidos octo
pro quolibet tabernario, vendenti ultra vas unum vini in anno uno	s. quatuor et medium
pro quolibet vendente solum unum vas in anno.	solidos duos
pro quolibet bechario, continuam residentiam faciente in eo Burgo aut Castellantia	solidos octo
pro quolibet veniente interdum, ut puta ad Natale, et similiter ad feram . .	solidos tres et medium
pro quolibet formagiario, et aliter retaliante quantum formagium	solidos sex
pro quolibet alio retaliatore, quo quo retalio merente coæquationem aliquam .	solidos quatuor
pro quolibet brentatore, omni anno: super hoc bulletur brenta eius	solidos duos
pro quolibet stario bullando, et ab inde infra, ad ratam pro rata	solidum unum
pro qualibet statera, a libris centum supra	s. unum et medium
pro qualibet statera, a libris centum usque ad quinquaginta	denarios novem
pro qualibet statera ab omni pondere .	— sex
pro quolibet mulinario, singulo anno, ex mulinariis Burgi et Castellantiæ. . .	solidos tres

In aliis autem ibi non nominatis, exercitia facientibus et operationem, quæ mereri possent coæquationem aliquam, servetur forma; et Incantator super illis solutionibus debeat ipsorum talium bullare eorum omnia necessaria, omni anno.

De solutionibus fiendis pro statera Communis.

Nullus possit in ipso Burgo nec Castellantiis, emens nec vendens aliquam rem ponderandam, uti aliam stateram, quam stateram Communis Varisii, nisi ponderando a libris decem infra, aut de accordo esset cum Incantatore stateræ Communis; et si quis contrafecerit, cadat in pœnam, qualibet vice, amittendi stateram, et solidorum de-

Digitized by Google

cem tertiolorum, applicandorum ut in capitulo bulli ibi supra. Et similiter Incantator auctoritate propria possit robare delinquentes, notificans tamen Domino Potestati ibi, nisi partes fuerint concordes. Et ponderantes teneantur solvere ut infra:

pro quolibet pondere, a libris quinquaginta supra, usque in omnem summam . . . solidum unum.
pro quolibet pondere a libris vigintiquinque supra, usque in quinquaginta . . solidum medium
pro quolibet pondere a libris supra infra, qualitercumque . . . . . denarios tres.

De solutionibus fiendis pro stario Communis.

Nullus vendens nec emens bladum in dicto Burgo nec Castellantiis ab aliquo mercatore, aut in die mercati aut non, non possit uti alio stario, quam stario Communis, et ab Incantatore Communis, sub pœna solidorum decem tertiolorum cuilibet contrafacienti; et Incantator possit, et ei liceat, robare delinquentes propria auctoritate, ut supra; et quæ pœna procedat ut supra; et pro eius incantationis mercede possit accipere prout infra:

pro quolibet stario a vendentibus tantum omnium bladorum et leguminum . . denarium unum;

nisi aliter vendens fuerit concors cum Incantatore.

Pro castaneis, nucibus, et aliis mensurandis, habeatur respectus ad eorum pretia, ita quod minus valentia blado, minus solvant pro singulo stario.

De solutionibus fiendis per vendentes pisces in Burgo Varisii.

Nullus piscator, nec pisces portans ad vendendum, non possit vendere in alio loco, quam ad plodam piscium seu berlinam, sub pœna contenta in capitulo stateræ; et Incantus possit id facere ut supra continetur; et teneantur solvere:

pro qualibet cavallata magna vel parva, qualibet vice . . . . . solidum unum
pro qualibet sporta, aut gerlo . . . . solidum medium
pro qualibet corbella, corbellino, sacculo, vel sacchetta . . . . . denarios tres.

Digitized by Google

De ordine servando circa solutionem Terradegi.

Quilibet veniens in dicto Burgo aut Castellantiis cum aliquibus rebus vendendis, in plaustris, aut equis, aut super humeris, aut aliter, exceptis lignis ab igne, vinea, calce, carbone, cantiris non doratis, aut aliis lignis ab opere, bladis, vino, fœno, palea, teneatur, et cogi possit per Incantatorem Terradegi, ad solutionem, ut infra. Similiterque vellens morari in eo Burgo super mercato, sive non, cum aliquo bancho, aut alia re, possit cogi ad solutionem, qualibet vice, ut infra, salvo si de accordo esset cum Incantatore. Et quibet contrafaciens cadat in pœnam solidorum viginti tertiolorum, applicandorum ut supra, stando semper sacramento Incantatoris, cum uno teste fide digno; qui Incantator auctoritatem habeat robandi, prout supra.

Primo, pro quolibet carro cuiuslibet mercantiæ, exceptis suprascriptis, ac etiam exceptis porris	solidos tres
pro quolibet carro porrorum	sol. unum cum dimidio
pro qualibet cavallata mercantiæ, exceptis ut supra	sol. unum cum dimidio
pro quolibet carico personali, exceptis porris ac mangiariis et canzulibus .	solidum medium
pro quolibet carico porrorum, cugiaiorum et cazulorum	denarios duos
pro quolibet brachio terræ, forensibus, singulo die	denarios sex
pro quolibet brachio terræ, terreriis, singulo die	denarios tres

Ordo circa fraudes molinariorum.

Nullus mulinarius conducat blada ad molandinum, nec farinam a molandinis, nisi ea ponderari fecerit a Pensatore deputato per Commune; qui ponderans teneat scriptam, et illico satisfaciat de callo farinæ requirentibus, cum hoc, quod possit retinere ibi bestias mulinario fraudanti, donec sibi Pensatori satisfecerit; ita quod Statuta Communis Mediolani super hoc disponentia habeant locum. Et quilibet mulinarius contrafaciens cadat, omni vice, in pœnam solidorum decem

Digitized by Google

tertiolorum, applicandam ut supra, cum auctoritate propria robandi, ut supra. Et pro pondere possit, et valeat, accipere ex eius labore: pro quolibet modio bladi, et nihil de

farina . . . . . solidum unum
ab inde infra, pro quolibet stario . . denarios duos.

Dux Mediolani etc. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum et Perusii Dominus.

Vobis per copiam destinamus inclusum quemdam nostrum generalem ordinem, quem volumus observari in universo dominio nostro circa deputationem Officialium Communium, Civitatum et Terrarum nostrarum, videlicet Cancellariorum, Notariorum, Syndicorum, Rationatorum, et similium, prout ipse noster ordo plenius dicat; volentes, quod omnes illos ex prædictis Officialibus, quos reperietis in partibus, ubi vos syndicare continget, quousque removendos concernetis, iuxta seriem ordinis antedicti revocetis, et legitime syndicetis, faciendo alios, per illos ad quos spectat, loco talium revocandorum subito surrogare; faciatisque, quod dictus noster ordo publicetur et registretur, et inseratur in volumine Statutorum et Ordinamentorum cuiuscumque Civitatis et Terræ, in qua vos syndicare continget, et ipsum locum habere debere videbitis, præcipiendo et ordinando, quod de cetero, prout iacet, ad litteram observetur. Datum Sancti Angeli, die xxii Octobris mcccci. Antonius.

A tergo: — Nobili et sapienti viro Domino Vadino de Gambarana, Vicario nostro.

Certis bonis moti respectibus, decrevimus et decernimus, quod Officiales, ut puta Cancellarii, seu Notarii, Rationatores, Syndici, et similes, Civitatum et Terrarum nostrarum, qui anno, seu de anno proximo præterito, finito die ultima mensis Decembris proximi præteriti, exercuerunt aliquod tale officium in Palatio, seu in Communi, sive per nos, sive per Nobiles Squadrarum ipsarum Civitatum et Terrarum nostrarum, sive per quascumque personas alias alicuius ex dictis Civitatibus et Terris nostris, sive per dictum Commune ad ipsum officium deputati fuerunt, et a dicta die ultima citra non exercuerunt ipsum officium, sed alii fuerunt surrogati eis, debeant syndicari legitime de gestis et administratis, et etiam de neglectis

Digitized by Google

in officio sic per eos exercitato, et si alii non fuerint eis surrogati, sed etiam nunc exerceant, statim a dicto officio removeantur, et per illum vel illos, ad quos spectat, alii surrogentur, quorum officium durare debeat usque ad diem ultimam mensis Decembris proximi futuri inclusive, et taliter remoti debeant syndicari, ut supra. Illi vero, qui non exercuissent aliquod tale officium ante calendas mensis Ianuarii proxime præteritas, sed ab ipsis calendis inclusive citra exercuissent aliquod tale officium, illud exercere possint usque ad diem ultimam mensis Decembris proximi futuri inclusive, et tunc revocentur ab ipso officio, et syndicentur, ut supra, et alii surrogentur, ut supra, et ipsi sic surrogantes durent in ipso officio per annum unum, et non ultra, sed finito anno, alii surrogentur, ut supra, et illi, quorum finitum fuerit dictum exercitium per finitionem anni, syndicari debeant, ut supra. Et similiter postea de cetero fiat de anno in annum, inchoando annum semper in calendis Ianuarii, tam respectu finitionis officii illorum, qui exercuerunt, ut supra, quam respectu surrogationis, ut supra; et si aliquis renunciaret dicto officio ante finem, vel ante finem anni removeretur, vel moriretur, quod tunc, loco illius sic renunciantis, vel remoti, vel mortui, alius surrogetur, qui exercere possit ipsum officium usque ad finem anni inchoati per illum, qui sic renunciavit, vel remotus, vel mortuus fuerit, et finito illo anno, alius surrogetur, ut supra, et tam talis renuncians, quam remotus, et quam taliter surrogatus, cum officium suum finierit, syndicari debeat, ut supra; et quod, in quolibet casu omnium casuum prædictorum, non possit aliquis qui tale officium exercuerit, amplius eligi, nominari nec surrogari ad ipsum officium, nec ad aliquod ex prædictis officiis, nisi prius elapsis tribus annis continuis a die finiti sui officii; ac etiam quod aliquis, qui in aliquo prædictorum officiorum commiserit baratariam aliquam, vel aliquod illicitum, ex qua, vel ex quo in syndicatu fuerit condemnatus, nullo tempore possit ad aliquod ipsorum officiorum elegi, deputari nec surrogari; et ita in omnibus et per omnia servari volumus et iubemus; ac etiam, quod Nobiles prædicti, et aliæ personæ, ad quas dicta deputatio, electio, vel surrogatio spectarent, vel spectabunt, si fuerint negligentes in ipsis electione, deputatione, vel surrogatione, intelligantur, et sint, ipso iure, privati iure seu facultate sic deputandi, eligendi et surrogandi, et talis electio ad nos intelligatur pervenisse ipso iure.

Digitized by Google

MCCCCII. Indictione undecima, die Veneris, vigesimo nono mensis Septembris. Egregius et Nobilis Legum Doctor Dominus Vadinus de Gambarana, Vicarius Generalis Illustrissimi Principis et Excellentissimi Domini Domini Ducis Mediolani etc. Comitis Angleriæ ac Bononiæ, Pisarum, Senarum et Perusii Domini, ac Syndicator, in hac parte deputatus ad syndicandum Dominum Georgium de Nibia, Vicarium Terræ Varisii et pertinentiarum, virtute et ad executionem Decreti præfati Domini Domini Ducis editi super hoc, declaravit et declarat, quod de cetero Vicarii dictæ Terræ Varisii, qui per tempora fuerint, non audeant nec præsumant recipere, nec cogere homines dictæ Terræ ad sibi dandum nec consignandum, expensis dicti Communis, aliqua furnimenta parva sive minima domus, præterquam lecta sufficientia, videlicet culcedres cum plumatiis, banchis, necessarias vegetes pro vino, ad usum eorum, et lecteras; mandans præcipiendo præfatus Dominus Vadinus, Vicarius antedictus, per præsentem declarationem Consulibus et Canepariis dictæ Terræ, qui per tempora fuerint, quatenus dictis Vicariis, qui per tempora fuerint, non audeant nec præsumant respondere, nec responderi facere, ultra prædicta, et ultra salarium eorum ordinatum, sub unius denarii quatuor (?) et etiam Caneparío, qui faciet expensam de prædictis rebus reservatis. Quam quidem declarationem præfatus Dominus Vadinus, Vicarius antedictus, iussit inseri debere in volumine Statutorum Communis Varisii pro observatione prædictorum.

FINIS.

Digitized by Google

Capitula Burgi Varisii,
quæ petuntur confirmari ab Ill. Principe et Domino Domino Comite Francisco Sfortia.

Primo, quod præfatus Ill. Comes non possit alienare, donare, vel in feudum dare, aut aliter quovismodo transferre, directe nec per indirectum, aut aliquo iuris quæsito colore, dominium prædicti Burgi Varisii, nec eius Vicariatus, in totum nec in parte, nec homines ipsius Burgi, nec eius Vicariatus, obligare vel tradere in aliquam singularem personam, Commune, Collegium, vel Universitatem, sed ipsius Ill. Comitis subditi sint et permaneant, et quod omnis alienatio et translatio facta contra formam præsentis capituli nulla sit. — *Respondemus, quod contentamur.*

Item, quod Vicariatus, et Terræ, ac Plebes quondam subditæ supradicto Burgo et Vicariatui Varisii reintegrentur et uniantur ipsi Burgo et Vicariatui, prout fuerunt tempore primi Ducis Mediolani, et antequam unitæ fuissent Comitatui Angleriæ. — *Informabimur, et alias respondebimus.*

Item, quod Plebs Brebii uniatur et sit cum Burgo et Vicariatu Varisii. — *(Non v' è la risposta dello Sforza).*

Item, quod honorantiæ et bonæ consuetudines debitæ ipsi Burgo Varisii per Commune Mediolani, hactenus et de cetero observentur perpetuo. — *Placet, quatenus laudabiles sint.*

Item, quod Statuta et Ordinamenta dicti Burgi, ac Communis Mediolani, serventur ad litteram, prout iacent, tam pro Camera, quam pro extra, et pro omnibus singularibus personis. — *Observari volumus.*

Item, quod homines et incolæ dicti Burgi et Vicariatus possint, et valeant, et eis licitum sit, conducere, et conduci facere, blada cuiusvis generis a quibuscumque partibus Ducatus Mediolani, et aliunde, ad ipsum Burgum Varisii, et ad quascumque Terras ipsius Vicariatus Varisii, impune. — *Placet, pro necessario usu et victu dictorum hominum.*

Item, quod Datiarii gabellæ salis Ducatus Mediolani teneantur vendere, seu subvendi facere, in dicto Burgo Varisii et eius Vicariatus sal eo pretio, quo vendetur in Civitate Mediolani, et non pro maiori pretio, sub pœna cuilibet contrafacienti, et plus exigenti, pro singulo

Digitized by Google

denario, denariorum quatuor, cuius medietas ut infra proximo capitulo. — *Contentamur.*

Item, quod Datiarii et Caneparii datiorum et talearum non possint accipere, nec exigere, ab aliqua persona, seu personis, dicti Burgi et eius Vicariatus, pro exactione dictorum datiorum et talearum, nisi imperiales sex pro qualibet confessione seu bulletta, quæ ascendat usque ad summam solidorum XXXII imperialium, vel ab inde infra, exigere seu accipere non possint ultra imperiales tres, et pro cambio id quod solvitur Thesaurario; et qui non vult confessionem, seu bullettam, nihil solvere teneatur. Et quod qui plus exegerit, puniatur pro uno denario in quatuor; et medietas sit Cameræ, alia medietas sit eidem, a quo sit extorta talis pecunia. Et quod Potestas Varisii teneatur statim tales Datiarios et Caneparios plus exigentes compellere realiter et personaliter ad id restituendum quod plus extorserint seu exegerint, ac pœnam solvere suprascriptam tam Cameræ, quam etiam parti læsæ, sine alio processu super inde fiendo, sub pœna salarii sui unius mensis, Cameræ prælibati Domini applicanda — *Concedimus.*

Item, quod nulla persona solvens suam ratam partem, seu contingentem, portionem quorumcumque onerum, talearum, subsidiorum, ac datiorum, tam impositorum, quam imponendorum, seu quæ in futurum apparebunt in dictis Burgo et Vicariatu Varisii, non possit nec debeat molestari, vel aliqualiter conveniri, vel exigi pro non solvente, seu non solventibus; et contrafaciens puniatur, et exigatur ut supra proxime. — *Placet, quando qui non solvit est solvendo; sed quando debens solvere non est solvendo, volumus quod unus pro altero teneatur.*

Item, quod Potestas deputandus exigere et habere non possit a dicto Burgo et Vicariatu Varisii ultra salarium librarum quadraginta imperialium pro singulo mense, ad monetam Mediolani, prout habebat tempore prælibati ducis Mediolani; alioquin careat salario suo. — *Volumus, quod habeat florenos triginta quolibet mense.*

Item, quod homines dicti Burgi et Vicariatus compelli non possint ad solvendum pro datiis imbotaturarum, bladorum, vini, ac fœni, ultra id, quod solverunt Communitati Mediolani de anno curso MCCCCXLVII, secundum conventionem cum ipsa Communitate tunc habitam. — *Contentamur altero ex prædictis, prout alias informati melius eligemus.*

Item quod nulla persona dictorum Burgi et Vicariatus sit exempta,

Digitized by Google

exceptis Nobilibus Vicecomitibus, pro suis bonis dumtaxat, ac etiam Ecclesiis et monasteriis dictorum Burgi et Vicariatus, quæ exemptæ et exempta perseverentur cum suis granziis, prout fuerunt temporibus Illustrium Dominorum de Vicecomitibus præteritorum — *(Non c'è indicazione di conferma o di riformazione).*

Item, quod nullus Exactor transmitti possit ad ipsum Burgum et Vicariatum pro aliquibus exactionibus fiendis, sed Dominus Potestas ipsius Burgi sit, et esse debeat Exactor quorumcumque onerum tam datiorum quam aliter; et quod pro ipsis exactionibus nil exigere possit ultra salarium suum suprascriptum. — *Placet.*

Item, quod Communitas Burgi Varisii habeat actionem incantari faciendi Notarias civilium et criminalium, et Potestas, residens dicto Burgo et Vicariatu, habeat merum et mixtum imperium, tam pro civilibus quam pro criminalibus, servando Statuta nec non Decreta — *(Senza conferma o correzione. In margine sta scritto:* non est).

Item, quod nulla persona dictorum Burgi et Vicariatus citari possit, nec compelli ire coram aliquibus Officialibus seu Iudice datiorum Civitatis Mediolani, præsente vel futuris, occasione aliquorum datiorum ipsorum Burgi et Vicariatus, sed Dominus Potestas dicti Burgi sit iudex competens ipsorum datiorum, et non alius. — *Placet usque ad . . . . (Nella copia non è richiamo o segno che mostri ove si arresta la parte ammessa).*

Item, quod omnes Ecclesiæ ipsius Burgi, et Vicariatus eiusdem, teneantur et defendantur immunes et exemptæ a quibuscumque oneribus tam ordinariis quam extraordinariis, et in datiis; et similiter eorum Presbiteri et Clerici, videlicet dumtaxat de bonis percipiendis parte Ecclesiarum. — *Observetur quod observatum fuit tempore Illustris Domini Ducis, videlicet Philippi Mariæ).*

Item, quod fiat crida, quod quælibet persona Burgi et Vicariatus possit, et valeat libere, tute et impune redire et repatriare, stare et morari in dictis Burgo et Vicariatu, non obstantibus aliquibus delictis, excessibus, seu criminibus commissis per eos usque in diem hodiernum, aut bandis exinde secutis, quia prædictorum omnium facta est plena remissio et cancellatio. — *Contentamur de iis, de quibus pax habita est, vel habebitur infra mensem.*

Item, quod debita ordinaria et extraordinaria ab hodie retro ipsis hominibus remittantur et cancellentur, dumtaxat pro aliquibus datiis, et gabellis, ac condemnationibus, quovis nomine nuncupentur; et fiat

Digitized by Google

nova solutio, et novus ordo. — *Concedimus: debita publica publicis creditoribus remissa intelligantur.*

Item, quod in die mercati, videlicet in die Lunæ, quilibet possit venire tute, libere et impune ad ipsum Burgum Varisii, et quod non possit quo quo modo detineri, nec restari pro aliquo debito publico aut privato, nisi sit rebellis; similiter, quod conducentes victualia ad ipsum Burgum non possint detineri, quocumque die, nisi sit rebellis, ut supra. Et quilibet possit ire ad Civitatem Mediolani negotiando, et mercaturas suas faciendo, et non valeat detineri pro aliquo debito sui Communis; et sic per totum Ducatum. — *Fiat secundum consuetum.*

Franciscus Sfortia Vicecomes Comes etc. Cuilibet dictorum capitulorum respondimus, prout supra, in fine cuiuslibet dictorum capitulorum, apparet responsum, diversa littera, manu infrascripti nostri Auditoris; mandantes dicta responsa observari debere per omnes Officiales nostros, tam præsentes quam futuros, tam ibi quam alibi, sub indignationis nostræ pœna. In quorum fidem etc. Ex felicibus castris nostris in Cerminate, die XIIII *Decembris* 1448.

Johannes Amelia I. U. Doctor, Auditor.

Digitized by Google

NOTE

AGLI

STATUTI DI VARESE

Pag. 7. — *Infrascripta Statuta facta et ordinata fuerunt..... ad bonum statum Magnificorum Dominorum, Dominornm Iohannis et Luchini fratrum de Vicecomitibus* (Proemio). — Da questo proemio apparisce che dal 1347 data il primo codice, la prima compilazione degli Statuti di Varese, in nessun luogo de' quali parlasi di Statuti o providenze anteriori, a cui derogare, o cui abrogare, o confermarsi. Sopra Varese aveano anticamente giurisdizione i consoli di Seprio; poi dominio e giurisdizione l'arcivescovo di Milano. Il Giulini, sotto l'anno 1168, scrive che il Borgo cominciò a separarsi a poco a poco da' Sepriesi, *stati a tutto loro potere fautori dei Tedeschi, per distruggere la Città e la Chiesa Milanese;* e sotto il 1246, che il Pontefice (Innocenzo IV) sul bel principio dell'anno ebbe ad esaminare una grave lite insorta fra l'arcivescovo di Milano ed il Borgo colla Castellanza di Varese, perchè gli abitanti dello stesso luogo, « volendo » reggersi da sè, avevano eletti alcuni consoli e rettori, ma il vescovo, » a cui spettava il dominio e la giurisdizione, si era opposto ad una tal » novità, quantunque senza profitto, perchè gli abitanti, invece di obbe- » dire, avevano appellato al papa. Non ostante l'interposta appellazione, » Frate Leone (l'arcivescovo), che era un po' ardente negli affari, aveva » intimata ad essi la scomunica, e sottoposto il Borgo all'interdetto.... » Ne' seguenti tempi troveremo che l'arcivescovo riteneva ancora la si- » gnoria di Varese; ma i Borghigiani non pertanto avevano i loro con- » soli e rettori; perciò è credibile che la lite finisse poi con qualche ac- » comodamento (*Memorie della città e campagna di Milano,* VI, 353-356; » VIII, 33 e segg.) ».

Pag. 7. — *Existente Vicario prudenti viro Domino Conforti de Belforte* (Proemio). — « Il continuatore del Morena prima de' Sepriesi nomina » quelli di Belforte. Il Fiamma in parecchi luoghi dice molte cose di que- » sto Belforte; ma io non bado a manifeste favole. La verità si è, che » Belforte era un castello presso Varese, di cui colà ne rimane ancora » il nome, e che il continuatore suddetto, nominando Belforte, ha voluto » additare gli abitanti di Varese e de' suoi contorni, i quali, sebbene

Digitized by Google

» erano ancora sotto il contado di Seprio..., con tutto ciò è probabile che » cominciassero a formare una piccola regione da sè, separata dal Se- » priese, come la formano a' dì nostri ». GIULINI, *Memorie della città e campagna di Milano;* sotto l'anno 1168, VI, 353).

